

Jordanus, de monasterio S. Fidis de Coñchis, qui in Aniciensi episcopatu prioratum tenebat in oppido Ebais, consilium quærens super morbo quod acciderat cuidam rustico suo. Dicebat enim rusticus serpentem corpus suum intrassem, et hac occasione se assidue torqueri, et per singula momenta proximum morti fieri. Quod vir Dei audiens, multum condoluit, et tanta mente Spiritum sanctum conciens, intimo cordis affectu suspirare coepit. *Frater, inquit, hæc nostra non sunt, sed sanctorum Dei. Tamen quia omnia possibilia sunt credenti, si fidem habeat homo, potens est divina bonitas conferre consilium periclitanti. Quapropter summo diluculo venias tu solus cum solo, et ubi nos videbis ad divina celebranda intrare, illuc et tu fideiter sequaris.* At ille hoc audiens, cum magna laetitia ad hospitium recessit, et summo mane ante lucem rediens, ante ostium Patris cum misero excubabat, donec egredetur. Pater autem piae promissionis non immemor, cum duobus monachis, Petro de S. Joanne et magistro Thoma, ante lucem surrexit, et ad oratorium Sancti Majoli, ut ibi divina celebraret, perrexit. Celebravit autem missam de Ascensione, et illum qui torquebatur fecit adesse. Cum vero Evangelium legeretur, et ad illum locum veniretur, ubi dicitur: *Serpentes tollent, miser os aperuit, et serpens caput emisit, quem Pater manu accipiens, et a corpore hominis extrahens, cunctis qui aderant stupentibus, in medium projecit.* Homo vero corruens, sere spiritum præ angustia exhalavit; quem Pater, dum divina celebraret, cooperiri jussit. Missæ completa solemnitate, ad infirmum accessit, et propria manu illum a terra elevans, ut peccata sua consideretur imperavit. Facta confessione, lavit homo aqua et vino os suum, et sic sacrosanctis mysteriis communicians, incolumis remeavit ad propria. Tunc Pater omnes qui aderant super sacrosancta Evangelia jurare coegit, ne alicui hoc factum dicerent, dum vivet. Ipse audita autem morte ipsius, Jordanus monachus miraculum, ut factum fuerat, in capitulo

A Sanctæ Fidis publice revelavit, et multis aliis hoc factum fuisse pro certo affirmavit.

17. *De ipsius parentibus.* — Hæc breviter dicta sunt de miraculis Patris nostri, non quod multa non essent dicenda, sed nolumus onerare audientes, quia ad alia properamus. Nam iste vir de nobili schemate et honesto ortus, antiquitate parentum declaratum est quantus et qualis fuerit in populo Dei. Denique proavus ejus revelatione divina ecclesiam S. Michaelis de Clusa ædificavit; mater vero numero silorum germine gaudens, Marciacum se contulit, et ibi in sanctimonia vitam finivit. Pater vero ejus in monasterio Celsiniensi sepultus est. Fratres ejus quatuor ecclesiastici et duo laici fuere, Jordanus abbas Casæ-Dei, Poncii abbas Viziliaci, Armannus abbas Magnilogi, Heracleus præpositus ecclesiæ Brivatensis, duo milites Dissutus et Eustachijs, quorum nobilitas et honestas toti Arvernae nota fuit. Quid ad nos de genere? Redeamus ad Patrem. Hic enim per xxx annos, ut mihi, et aliis multis revelaverat, die Nativitatis Domini finem sibi evenire exorabat. Unde ad sanctos Carthusiæ quos nimio affectu diligebat, semel in anno pergebat, et obnixe precabatur, quatenus pro suo desiderio Altissimum exorarent, ut compleretur tempore certo. Cum autem illi dicerent: *Pater, indica nobis quæ sit petitio tua, ut certius inde valeamus ipsum quem petis orare,* ipse nolebat aperire; sed tantummodo dicebat: *Si servi estis Altissimi, pra confidite vestro orate, ut desiderium meum Deus perficiat.* Cum autem homo Dei ex hoc mundo transisset ad Patrem, Carthusienses Cluniacensibus pro desiderio viri Dei epistolam direxerunt, et quia consummatum fuerat quod tandem desideraverat, evidenter indicis declaraverunt. Hic pacis amator in die pacis pacem obtinuit in gloria Dei. Hæc breviter de beato Patre nostro dicta sunt, quia audientibus fastidium inferre nolamus, et ideo plurima prudentioribus scribenda relinquimus.

VITA ALTERA.

(Dom MARIER, *Bibliotheca Cluniacensis*, Paris. 1614, fol., p. 589, ex Anonico Cluniacensi.)

Petrus primus, abbas nonus Cluniacensis, fuit electus in octavis Assumptionis beatæ Dei genitricis Mariæ, et incepit regere anno Domini 1122. Hic Petrus cognomento Majoritii [al. Mauricii, vel ut quidam volunt, Mauriaceni], ex nobiliissimis Arvernianis magnatibus originem ducens, ab ipsis infantis eunis a parentibus Deo sub monastica observatione militatus oblatus est, et a sancto Patre Hugone in extremum vitæ suæ monachali benedictione insi-

Dgnitus. Postea tempore domini Pontii abbatis Cluniacensis prior Viziliacensis factus ordinem strenue rexit. Inde prior de Domina factus, defuncto venerabili viro domno Hugone II hujus loci abbate, a magnis famosisque, qui tunc florebant, hujus loci monachis ac personis religiosis in universo acclamantibus conventu, in abbatem elititur, et a Chrysopolitano archiepiscopo eodem die benedicitur, cum esset annorum circiter xxx [al. xxviii].

Suscepito abbatiae regimine, humilitatis præcipue cultor, et sanctimoniae magnificus et singularis custos exstitit. Incessus ejus gravis, sermo maturitatis et gratiae plenus, mores bene compositi, totus jocunda gravitate gravique jocunditate redimitus, omnibus exemplar honestatis et monasticae gravitatis præferebat. In suscipiendo confessionibus singulararem suo tempore gratiam obtinens, in curandis occultis conscientium reatibus speciali callebat solertia, ita ut ipsum solum crederes qui sciret curare sua, et aliena vulnera non detegere et publicare. In corripiendis apertis vitiis plus patris exercuit quam judicis, plus clementiae quam rigoris, plus misericordiae quam censuræ. Statura corporis conspicuus adeo, ut inter omnes sui temporis personas vultus venustate, membrorum positione, morum compositione præclarior exstiterit.

Cum vir idem Petrus Venerabilis abbas Cluniacensis ex Hispaniis rediens in Aniciensi civitate devenisset rusticus quidam adfuit, qui et serpentem corpus suum intrasse lacrymabili lamentatione deploabant, et per singula momenta morti proximum fieri. Quod vir Dei audiens, multum condoluit; cui et dixit: *O frater, inquit, haec nostra non sunt, sed sanctorum Dei tantum, quia omnia possibilia sunt credenti. Ego pro te Dominum exorabo;* mane autem factio, idem vir sanctus piae promissionis non immemor, oratorium Sancti Majoli missam celebraturus intravit. Cum vero de Ascensione Domini missam celebriaret, illum qui torquebatur adesse constituit. Cum vero evangelium legeret, et ad illum locum deve- nisset, ubi dicitur, *Serpentes tollent,* miser tunc os aperuit, et serpens caput emisit. Quem Pater, cunctis qui aderant stupentibus, in medium projecit. Homo vero corrugens fere spiritum præ angustia exhalavit. Missæ vero solemnitate completa ad insipuum accessit, qui ab eo confessionem suscipiens, et eum sacrosanctis mysteriis communicans, incolumentem remisit ad propria.

Scientia singulari vir vitæ Venerabilis Petrus, abbas Cluniacensis suis temporibus floruit, nullusque sibi major fuit. Quod usque in hodiernum diem multiplicita ejus scripta ostendunt, quæ in processu ipsius inseremus sigillatim, licet in his ordo servetur minime.

Durante tempore suæ administrationis multa scripta edidit vir vitæ Venerabilis Petrus noster abbas Cluniacensis. Nam scripsit diversas epistolas cum tanta gravitate et stylo tam excuso, quod alter Augustinus videatur esse insanorum [f. sanctorum] descriptione librorum.

In primis epistolârum liber ejus in sex libros dividitur.

Primus liber continet xxxvi, epistolas.

Secundus liber continet li.

Tertius liber continet vii.

Quartus liber continet xlvi.

Quintus liber continet ix.

Sextus liber continet l: inter quas inseruit tra-

A etatum quinque capitulorum distinctione divisum, et omnium quæ dicta sunt, vel dici possunt, argumentorum rationibus aduersus Judæorum inveteratam duritiam.

Primum capitulum ostendit quod Christus Filius Dei sit.

Secundum capitulum ostendit quod Christus specialiter Deus esse probatur.

Tertium capitulum ostendit quod Christus non, sicut Judæi putant, temporalis rex, sed æternus sit et coelestis.

Quartum capitulum ostendit quod Christus non, sicut Judæi desipiunt, adhuc venturus sit, sed jam certo et præordinato tempore, ad mundi salutem venerit.

B Quintum capitulum ostendit et determinat de ridiculis atque stultissimis fabulis Judæorum.

Inseruit etiam idem Petrus Venerabilis abbas Cluniacensis librum quem edidit et scripsit contra Petrobrusianos hereticos, qui dicebant primo pueros baptizari inutiliter, quia credere non possunt.

Secundus error erat, quia dicebant basilicas vel altaria fieri non debere, quoniam Ecclesia Dei, prout affirmabant, unitate fidelium congregatorum constaret.

Tertius error erat, quia dicebant crucem Domini nec adorandam nec venerandam, sed magis confringendam et conculcandam esse.

Quartus error erat, quia dicebant missam nihil esse, nec celebrari debere.

Quintus error erat, quia asserebant vivorum beneficia nihil prodesse defunctis.

Sextus error erat, quoniam dicebat Deo non esse cantandum,

Idem iste Petrus noster Cluniacensis abbas ipso existentes in Hispaniis cum imperatore, transluit de Arabico in Latinum Alchoranum de lege Mahometi heretici. Et tamen in Cluniaco scripsit fortissime adversus prædictam sectam. Opus suum dividens in quinque libros, qui libri dividuntur per capitula.

Iste idem Petrus Cluniacensis abbas scripsit de miraculis quæ suis temporibus advenerunt, sive facta sunt. Et de his duo exstant libri.

D In primo siquidem libro de xxviii miraculis determinat cum magna et Ciceronianâ elegantia, non solum in his operibus suis, verum in omnibus.

In secundo narrat xxx.

Item scripsit idem Petrus sermones quatuor valde utilles et elegantissimos, quorum

Primus de transfiguratione Domini est.

Secundus sermo de laude sepulcri Domini est.

Tertius sermo de sancto Marcello papa et martyre est.

Quartus est inscriptus, In venerazione quarumlibet reliquiarum.

Insuper egregius ille Pater Petrus Venerabilis Cluniacensis abbas scripsit epistolam ad Petrum

de sancto Joanne societatis suæ veteranum, contra eos qui dicunt Christum nunquam se in Evangelii aperte Deum dixisse. Haec epistola utilis et necessaria, plena instructionibus quamplurimis.

Scripsit idem rhythmum in laudem Salvatoris.

Rhythmum de sancto Hugone.

Rhythmum de S. Benedicto.

Item rhythmum de resurrectione Domini.

Fecit hymnum in honore sanctæ Mariæ Magdalene.

Item alium hymnum in honore matris Domini.

Fecit et prosam de eadem Virgine Maria gloria.

Nunc est videndum de glorijs Patris nostri Petri Venerabilis abbatis Cluniacensis prudentia erga suorum religiosorum provisionem. Nam in libro quodam statutorum hujus monasterii Cluniacensis ab ipso edito asserit quod, tempore suæ assumptionis in abbatem, in ipso Cluniacensi monasterio erant religiosi plus quam tres centum, sicut ipse testatur. Ipse namque ait: *Notum facio igitur ego frater Petrus, humilis Cluniacensis abbas omnibus istud legentibus, quod quando ad hoc officium ante xxviii annos assumptus sum, magnam quidem Ecclesiam, religiosam et famosam inveni, sed pauperiem, magnarum expensarum, et, comparatis redditibus cum expensis, nullorum pene redditum. Trecenti erant vel eo amplius fratres, nec centum de propriis sumptibus domus illa procurare valebat. Turba hospitum, semper pauperum infinitus numerus. Congregata de omnibus decanis annonam vix quatuor mensibus, aliquando nec tribus, vinum undecunque collectum, nunquam duobus aliquando mensibus, nec uno sufficiebat. Panis pervus, puger et fursus. Vinum maxime aquatum, insipidum, et vere villum, præter alias et multo cum foenore acceptas expensas. In emendo solummodo annonam et vinum, plusquam viginti millia solidorum Cluniacensis camerarius expendebat. Has angustias ego videns, habito cum sapientibus fratribus, qui tunc vivebant consilio, prout mihi et ipsis rationabile visum est, mesatica per decanas constitui. Et ut conventum Cluniensem de pane et de fabis, et earum sagamine quidam ex decanis uno mense, quidam tribus hecmodis, quidam quindecim, quidam ocio diebus, hoc est integrum anno procurarent, ordinavi. Et ut super annuatim haec constitutio servaretur, universorum fratrum assensu et voluntate et in capitulo præcepti et scripto firmavi. Hoc ita ut decretum est, multis postmodum annis servatum est.*

Tempore hujus beati Patris Petri Venerabilis Cluniacensis abbatis, anno videlicet 1131 dedicatio magnæ basilicæ Cluniacensis a domno papa Innocentio secundo facta fuit.

Anno Domini 1153, propter nimiam et effrenatam lenge plus solito pessimorum raptorum malitiam, qui præcipue in res Clunienses furiose deserviebant, rogatu domni Petri abbatis Cluniacensis, et

A amicorum Cluniacensium, dominus Odo, sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis, et apostolicæ sedis legatus, dominus Eraclius, Lugdunensis archiepiscopus electus, cum suffraganeis Lugdunensis Ecclesiæ, hoc est Eduensi, Matisensi, Cabilonensi episcopis, cum comite etiam Burgundionum Willermo, comite Cabilonensi altero Guillelmo, Humberto de Bellojoco, Joceranno Grosso, Hugone de Berziaco, Hugone de Scalciaco, et aliis Burgundiæ nobilibus non paucis, convenierunt apud Matisconem in Ecclesia Sancti Vincentii. Qui tractarunt ibi circiter spatum trium dierum de negotiis, et præcipue de pace Ecclesiæ Cluniacensis reformanda, ita quod coram universo clero et populo civitatis prædictæ, decretum est ab eis jam prælibatis dominis ut monachi dicti et laici, et omnes res ad Cluniacum pertinentes, quæ infra terminos Araris, Liguris et a Rhodano fluminum continentur, additis partibus illarum terrarum, quæ infra Eduensem civitatem et castrum Camonis, quod est ultra Cabilonem, constitutæ sunt, plena et secura pace manent. Et quicunque per dictum Cluniacum transiunt cum ipsis et rebus ipsorum securi et pacifici permaneant et conserventur. Ita quod prædicti domini de omnibus suis promiserunt prædictos Cluniacenses servare indemnes, tam in rebus quam personis, etiam usque procedere contra taliter maleficientes dictis monachis Cluniacensibus vel rebus ipsorum ad arma et obsidenda castra vel loca, in quibus tales malefactores, se retraxerunt. Et habitatores civitatis Cluniacensis promiserunt ibidem, dum hæc peragerentur, quod quoties essent requisiti de procedendo ad arma, cum dictis nobilibus et dominis, quod irent, etc. Et etiam prælati ex parte eorum contra tales promiserunt similiter procedere, etc.

Tempore insuper hujus præfati Petri Venerabilis abbatis Cluniacensis, anno salutis humanæ 1155, vir illustris Henricus Wintoniensis episcopus, rogatus dicti domni Petri abbatis, et ab Adriano papa IV, litteris invitatus, simul etiam a rege Franciæ Ludovicus Juniores, et omnibus sere Burgundiæ personis et baronibus evocatus, Cluniacum venit, eamdemque Ecclesiam gravis alieni ponderis [æris alieni pondere] oppressam, prudentia et expensis suis omnifere debitorum alienavit opere, ita ut tam ex personatione debiti, quam etiam in comparandis possessionibus, necessariis etiam rei familiaris comparandis, sicut ex ore ejus auditum fuit, prolatumque ab ipso, quod plusquam septem millia marcarum argenti expenderit. Payit enim per annum 460 monachos tunc existentes in dicto monasterio Cluniensi, ut habetur in libro capituli dicti cœnobij Cluniacensis. Iste Henricus Wintoniensis episcopus fuerat olim hujus monasterii Cluniacensis alumnus et monachus, ac nostrum nostrique cœnobii benefactor singularissimus suis temporibus et maximus.

Anno Domini 1171 præfatus dominus Henricus A lis; tertia sub xiv capitulis agit de ministris ecclesiasticis, et extra peccatoribus hæreticis.

De religiosis et monachis illustribus tempore venerabilis Patris nostri, Petri abbatis Cluniacensis.

Suscepit vero Cluniacensis Ecclesia, et sæpe, ut dixi, suscepit multorum et diversorum; non in terra, sed in cœlo thesaurizantium gazas. Auro igitur et topazio longe chariora Cluniacus a Leodiensi Ecclesia munera suscepit, quando magnificos viros, et summa cum laude æ dulcedine recolendos ad nos venientes, humili collegio Cluniacensi copulavit: Nam a temporibus beati Patris nostri Hugonis usque ad ipsius Petri Venerabilis abbatis Cluniacensis dies Leodiensis Ecclesiae Cluniacum tres canonici, Zelon scilicet, Tezelinus et Algerus, magni suis temporibus magistri humilitatisque discipuli venerate;

Quorum primus, videlicet Zelon; multo tempore pro Ecclesia, ad quam venerat laborans; singulari scientia et prædicabili lingua; non solum auditum mores instruxit, sed et corporalem novæ Ecclesiae fabricam plus cunctis mortalibus post reges Hispanos et Anglos construxit.

Sequens spiritualibus tantum studiis totum suum hominem occupans, in sancto proposito longævus consenuit. Et prius Cluniaci sub sancto Patre Hugone, dehinc Vizeliaci cum domino Rainaldo abate ejus nepote, et dénum Lugdunensi archiepiscopo degens, laudabilem vitam sancto fine conclusit.

Tertius, Algerus nomine, humilitate, puritate, vitae totius sinceritate longe præcedentes exsuperans. Unde de isto Petrus Venerabilis abbas Cluniacensis libro i Miraculorum narrat quod, ut de beato Job dicitur (*Job 1*), ipse Algerus vere simplex et rectus, timens Deum, et recedens a malo erat. Sæpe multumque sibi institisse dæmones Venerabili Petro abbatii suo conquestus est.

Iste Algerus erat subtilis ingenio, secundus eloquio. Ipse namque pro ecclesiasticis negotiis ad diversas personas, et ad Ecclesias multas insignes epistolas conscripsit. Et item inter cætera ingenii sui monumenta duos tractatus edidit ecclesiasticis valde utiles negotiis et Catholicæ fidei.

Quorum primum intitulavit *De misericordia et justitia*, quem tribus divisit particulis: quarum prima temperando justitiam misericordia, sufficienter agit de malorum tolerantia; secunda, de ecclesiasticis peccatoribus, et eorum canonica correptione; tertia de his qui extra Ecclesiam sunt, et eorum sacrilega communione.

Alium vero tractatum edidit tanto nobiliorem quanto sublimiorem, ultipte de re mirifica et necessaria, *De sacramento scilicet corporis et sanguinis Domini*.

Hoc opus in tres partes dividitur: prima expedite agit de veritate et virtute corporis Christi continens xxii capitula; secunda, de ipsius sacramenti variis quæstionibus, distincta decem capitu-

teria sub xiv capitulis agit de ministris ecclesiasticis, et extra peccatoribus hæreticis.

Petri Venerabilis jam sæpe nominati abbatis Cluniacensis temporibus Petrus Pictaviensis floruit, vir illustrissimus et doctissimus, qui plures ad Petrum Cluniacensem epistolas scripsit, et multa alia quæ apud nos sunt omnia.

Eodem tempore floruit Richardus, monachus Cluniacensis, origine Pictaviensis, qui magnus historiographus sacræ Scripturæ fuit. Scripsit enim ab Adam chronicus usque ad tempora Frederici.

Hugo Catula nobilis miles se promittens monachum facturum, in signum cujus sibi a Petro abate Cluniacensi comam abscidi fecit, et in hujus testimonium custodiri. Quo facto præfatus Hugo mutato B proposito Hierosolymam ire proponeñs, Petrus Venerabilis abbas Cluniacensis ipsum ab itinere revocat, et insinuans et demonstrans majus bonum minori præferendum. Nam majus bonum est Deo perpetuo in humilitate et paupertate servire, quam cum superbia et luxu Hierosolymam iter confidere. Quibus à præfato Hugone consideratis, monachus jam sæpe nominati Petri Venerabilis abbatis Cluniacensis factus est.

Albericus suo tempore Cluniacensis monachus, deinde Hostiensis episcopus, factus est legatus sedis apostolicæ in partibus Hierosolymitanis. Quare scribit Petrus Cluniacensi et religiosis ejusdem, ut eum in eorum orationibus pro sua peregrinatione commendatum habeant.

Domnus Natalis, prius Tresbacensis abbas, fit deinde monachus Cluniacensis, dimissa tamen abbatia Tresbacensi. A cuius rei proposito multi ipsum perturbare volentes, præfatus Petrus Venerabilis abbas Cluniacensis Innocentio papæ humiliiter supplicat pro eo domno Natali in quadam epistola ad dictum Innocentium transmissa, sic in fine ejusdem: *Quia, inquit, ergo non alibi quam in sinu vestro, hoc est in Cluniaco, requiescere maluit, provideat ei, ut dixi, pietas paterna quietem, quam justo ordine post Martiæ mereatur habere laborem.*

Hugo Turonensis archiepiscopus, cum in infirmitate esset monachus Cluniacensis effectus a clero postulatus est, ut reverteretur unde exierat. Non siquidem requirebatur ut mercenarius, qui videns lupum dimisit oves et fugit; verum pastor, qui pro domo Israel sibi commissa, muris se opponere, et stare in prælio in die Domini consuevit. Qui Hugo de communi schemate cleri, ad Martini sui nigrum habitum conversus est.

Abælardus, Petrus nomine, ab erroribus fidei per Petrum Venerabilem abbatem nostrum, et sanctum Bernardum abbatem Clarevallensem revocatus, quæ antea de fide dogmatizaverat perfide, monachus Cluniacensis factus est. Et deinde mens ejus, lingua ejus, opus ejus semper divina fuere; semper philosophica, semper eruditioria meditabatur, docebat, fatebatur. Et, sicut de magno Gregorio legitur, momentum aliquod præterire solebat minime, quin

sémper aut oraret, aut legeret, aut scriberet, aut dictaret. Lectio ei continua erat, oratio frequens, silentium juge, nisi cum aut fratrum familiaris collatio, aut ad ipsos in conventu de divinis publicis sermo eum loqui urgebat. Quare ipsum Petrus Venerabilis sollicite commendans, tale de ipso scriptis epitaphium :

Gallorum Socrates, Plato maximus Hesperiarum, etc.

Reluxit illis diebus Matthæus vir non obscuri secundum carnem generis, ortus ex Remensi provincia, utroque parente et nobilitate insignitus, et mundanis opibus locuplete. Huic in pueritia litteris traditus est. Qui postquam adolevit, in Laudunensi Ecclesia clericale officium adeptus est. Et statim a primis annis, quæ multorum clericorum depravatum morem cum aetate coepit et honestate invalescere, et levitatem vel lasciviam consodalium fugiens et exsecrans, quod per rurum et in hujusmodi, hominum genere, famosis honestate et religione clericis adhaerebat. Inter quos quemdam probatoris vitae clericum, Remensis Ecclesiæ tunc thesaureum eligens, qui Radulphus nomine, Viridis cognomine dicebatur, ei se specialius religiosa familiaritate devovit. Dehinc eodem Radulpho rapto, et in Remensem archiepiscopum assumpto, non deseruit quem elegerat Matthæum; sed aliquandiu sub ipso Remensis jam Ecclesiæ canonicus perseveravit. Qui postmodum Matthæus monasticam aspirans vitam, ecclesiasticos honores dimisit. Et propter celebren relationis famam, Cluniacum eligens, apud S. Martinum de Campis monachi habitum suscepit, et congrue. Erat enim idem S. Martini monasterium sub Cluniacensi monasterio, in ordinis, religionis, ac fervoris proposito, pio mundo suo ita consimile, et in tantum conformatum, ut velut simulacrum ceræ impressum, multis aliis ad Cluniacum pertinentibus monasteriis, originalis sigilli imaginem familiariter repræsentet; et exceptis locorum distantias, quæ simul esse non possunt, non diversa, sed prorsus unum sint. Cum itaque ibidem dominus Matthæus in monasterio Sancti Martini per annos septem claustrum ordinem serventissime tenuisset, jussione abbatis successit in prioratum, priore suo jam defuncto. Qualiter vero, quantumque se jam dictus Matthæus factus prior, imo etiam semper Deo subditus, et quibusque proximis ac remotis exhibuerit, vix explicari posset, tamen quam brevissime exsequamur.

In primis vir Dei exhibebat se Deo, ac substernebat vera cordis et corporis contritione præteritorum actuum, vel negligentiarum poenitutine, mundi contemptu plenissimo, ac pene singulari inter multa millia monachorum in Deum devotionis affectu. Morabatur assidue in claustro cum fratribus, et post plurimos mundi discursus, pene velut ea, cui adhaerebat claustrum columnæ, sacræ lectionis intentus studio inviolabiliter perdurabat. Vix poterat eum commissi prioratus cura saltem ad horam a

A fratrum collegio segregare, vel ab intentione semel in Deum desixa quolibet mundus occupationis suæ vino retrahere. Cumque sub ducatu ejus fere trecenti fratres, tam intra quam extra monasterium Dominò militarent, eisque corporalia subsidia prævidere vel per se, vel per alios ex officii debito convergetur, Marthæ quidem importunas exactiones ex toto effugere non valebat, sed tamen toto animæ desiderio Mariæ otio inhibebat.

Talem insuper dominus Matthæus subditis, eisque ad vitæ suæ terminum exhibuit et conservavit, ut non solum quantum ad Deum, sed etiam quantum ad se misericordiam et iudicium eidem Deo securè cantaret. Misericors in subditos erat, necessaria eis pro viribus præparando, et unicuique secundum apostolicani et benedicti regulam, prout opus erat, multo labore quæsita largiendo. Mos ei erat infirmorum, pauperum, hospitum, in quantum prioratus officium patiebatur, per seipsum potiorem curam gerere.

B Exhibebat Matthæus omnibus communem tam corde quam verbis dilectionis affectum. Et in quantum, salva propositi gravitate, poterat, jocundum se et hilarem quibuscumque allðquentibus offerebat. Ad omnes quidem, juxta Patris Augustini verba, congruum charitatis habebat affectum; ad eos vero quos poterat ejusdem charitatis effectum. Fecerat ea charitatis virtute monasterium suum præ cunctis totius Franciæ monasteriis commune universorum hospitum, et velut generale absque alicujus exceptione cunctorum asylium episcoporum, abbatum, nobilium etiam laicorum quotidie nus concursus, monachorum et clericorum agmina, pauperumque nunquam deesse poterat turba; domos universas, hospitia cuncta assidue pene replebat. Suscipiebantur alacriter omnes, nec in suscipiente boni vultus hilaritatem tanta advenientium importunitas turbare poterat. Hinc erat quod inter cæteros principes, qui eum harum et similium virtutum fama exciti diligebant; quique illi de suis multa largiebantur, Ludovicus rex Francorum, rexque Anglorum Henricus singulari ipsum amore ampleciebantur, adeuntem se gaudenter suscipiebant, multo susceptum honore colebant, ad discedentem nunquam fere vacuum remittebant:

C Postmodum Petrus Venerabilis abbas Cluniacensis dominum Matthæum, habita de ipso tanta fama, ad ordinis adjutorium, suæ vocationis anno primo Cluniacum evocavit, eique statim ordinis et claustrum curam imposuit. Ad cuius rei adjutorium magnum hunc, et vere Christi non segnem operarium, verum insignem, eum ad introitum vir Venerabilis Petrus abbas Cluniacensis expertus est.

D Cum itaque jam saepe nominatus dominus Matthæus tractus ad urbem fuisset, causa schismatis Pontiani erga Ecclesiam Cluniacensem incitatæ, pacificandi, eo schismate diffinito et penitus absorpto dominus Matthæus redire cum sociis ad propria festinabat. Sed qui nescientem vocaverat

Deus, redditum impedivit, et quia super pauca fideliis fuerat, eum super multa ut expertum dispensatorem promovit. Injungit ei cum honore papa Honorius secundus, majoris honoris et oneris pastoralem curam, et eum labori suo socium adhibens in episcopum Albanum consecrat. Proiectus ergo dominus Matthæus ad sublimem pontificalis ordinis gradum, et super Ecclesiæ candelabrum ad lucendum omnibus qui in domo Dei erant, magnifice exaltatus; nihil de monacho quorumdam more dimisit. Sed sicut de magno Martino legitur, eadem in corde ejus humilitas, eadem in vestitu ejus vilitas mansit. Nihil de officiis, nihil de cantibus, nihil de prolixa Cluniacensi psalmodia-quarumlibet curarum prætextu reliquit. Servabat in palatio instituta claustrum, et mundo expositus firmo et longo usu, velut innato religiosis proposito, a sæcularium vanitatibus se quasi septo firmo secernebat.

Possent quidem adhuc plura de ipso digna memoria litteris tradi. Verum illud tacendum non est, quod suis diebus parem non habuit sibi. Tandem prima Adventus Domini hebdomada, vir beatus dominus Matthæus Albanensis episcopus, omnimodum jam naturæ defectum posse multos labores et certamina ferre non valens, lecto decubuit. Qui ante decessum ejus ab hoc sæculo, gloriam, quam sibi Deus præparaverat, videre meruit. Et finaliter die Nativitatis Domini diem in Christo Jesu clausit extremum. Qui in ecclesia Sancti Fridiani sepultus est.

Gregorium insuper tempore Petri Venerabilis abbatis Cluniacensis, monachum ejusdem fuisse legimus. Iste Gregorius vir illustris et doctissimus fuit, qui, juxta Hieronymum, studiis semper sacrae Scripturæ. Ex quo vitia carnis non amavit, ipsum mirum in modum Petrus noster Venerabilis abbas Cluniacensis commendat ac laudat. Quod qui voluerit videre, legat in epistola 20, lib. iv Epistolarum ipsius Petri Venerabilis abbatis Cluniacensis:

Ejusdem Petri Venerabilis Cluniacensis abbatis temporibus fuit monachus Cluniacensis, Raynaldus, archiepiscopus Lugdunensis, qui primo monachus Cluniacensis, deinde abbas Viziliacensis, postremo archiepiscopus Lugdunensis, cuius epitaphium Petrus ipse Venerabilis fecit (15).

De Geraldo, sanctæ Cluniacensis Ecclesiæ monacho, scribit Petrus Cluniacensis abbas in libro primo Miraculorum, cap. 8, ejus vitam et mores sanctos. Iste in habitu clericali serviebat sancto Hugoni abbatii Cluniacensis, a quo tandem factus est monachus in Cluniaco. Cui a beato Patre Hugone propter ejus vitam laudabilem, regimen et administratio Ecclesiæ Sancti Salvatoris Nivernensis commissa fuit. Tandem a Petro Venerabili abate Cluniensi evocatus factus est prior in

(15) Hæbet infra cum aliquot aliis epitaphiis, inter ejus Scripta.

A monasterio de Altojugo, in quo loco finem vitæ peregit. In quo siquidem prioratu de Altojugo, dum vigilias observaret, et ne intempestive fratres surgerent sollicitus provideret, frequenter in eadem ecclesia voces eujusdam melodice audiebat, et merito, quoniam illorum est audire cœlestia, quorum aures dignantur audire terrena. Iste requiescit in dicto loco de Altojugo.

Vir vitæ Venerabilis Petrus abbas Cluniacensis et alium discipulum habuit, nomine Armanum. Hic itaque dum esset nobilis, et miles dives in sæculo, tractus divino spiritu, ac mundo renuntiare disponens, prius equos et vestes multi pretii, magnumque pondus argenti, et omnia pene sua Cluniacum direxit, et sic pauper et peregrinus Hierosolymam petiit. Ibi Domini adorato sepulcro, et sanctissimorum locorum visione aliquanto tempore recreatus, cum vitæ terminum, quem sibi summa pere adipisci desiderabat, diffiri videret, rediit,

atque Cluniaco habitum religionis induit. Cum quo et animum ita ab omni mundano affectu mutant, ut nec omnia bona, nec privata diuersarum exercitationum luera, spirituali cordis ejus ardori satisfacere possent. Non ei dies ad orationem, non nox sufficere poterat. Vix cibo aut somno eo studio indulgebat.

Eidem Armanno novitio contigit post Domini Natalem, nocte quæ diem præcedit, beati Joannis evangelistæ, ut in cella novitiorum cum aliis novitiis ipse adhuc novitus jaceret, ipse solitis orationibus fatigatus cum se in lectum collocasset, et

levi somno solitus, ursum tam terribilem vidi, ut omuē humanum terrorem ejus incomparabiliter tremendæ visionis horror excederet. Quare et ecce clamare terribiliter cœpit, sicque perseveranter, ut omnes fratres de lectis suis surgere, et ad se undique concurrere cogeret. Qui etiam dominum Petrum Venerabilem advocare coacti sunt. Ex eius visione, terrore, ac formidine, idem Armannus excitatus somnium quod viderat incipiens

contemnere rursus quem dormiens viderat, integræ vigilans supra ipsum eumdem ursum conspexit, tantum in aere sublevatum, quo eum si vellet manu contingere potuisset. Cujus stupendus erat rictus nefandioris ultra omnem modum horrendi, ut de eo scriptum est: *Per gyrum dentium ejus formido* (*Job xli*), unguis longissime recurvi, et se ad rapiendum avidissime exerentes, tota hirsuti corporis habitudo quasi in prædam jam jamque rapiendam dirissime infremebat. Et sic eum diabolus diu terrore fatigatum a mente sua excedere coegit, sed Dei misericordia liberatus. Tamen ex terrore illo tantam contraxit debilitatem, ut conventui per triduum interesse non potuerit. Hæc Petrus Venerabilis abbas Cluniacensis narrat (16).

Fuit et aliis, ut de magno Benedicto legitur,

(16) Libr. i Mirac., c. 18.

gratia Benedictus et nomine. Qui priusquam ad monasticalem ordinem venisset, religiosus valde presbyter exstitit, qui apud Cluniacum mutato habitu, verus est factus monachus. Corpus quippe attenuatum, facies macilenta; capilli incompti, ipsaque canitié venerandi, vultus demissus, oculi vix nunquam patentes, os sine requie sacra verba ruminans, non in terra, sed in cœlo positum; hominem indicabant. Silebat perpetuo, nisi cum eum certa et gravis causa loqui cogebat. Verba ejus brevisima, a nugis, jocis, atque omni prorsus otiositate aliena. Si quando vero de spiritualibus sermo erat, nunquam sine suspiriis, nunquam sine lacrymis siebat, psalmodia indeficiens, Scripturarum sanctorum nocte dieque meditatio. Propter quod et Psalterium glossatum semper circumferebat quoniam psalmos non perfunditorie, ut quibusdam moris est, sed summa cum attentione atque devotione cantabat. Ubi si quid quod non intelligeret, offendisset, ad glossas statim oculum convertebat. Diem totam psallendo, meditando, noctem vigiliando et orando peragebat. Habebat idem Benedictus pro cella domum orationis in turri altissima, atque remotissima, in honore sancti Michaelis archangeli consecratam. Jam si ejus per singula vitam describere vellem, non transcurrunt ab illo commemorandum, sed diutius esset immorandum.

(17) Cum idem beatus vir dominus Benedictus infirmitate gravatus in lecto jaceret, respiciens domum infirmorum in ipsa vidi infinitam multitudinem albatorum advenire, et paulatim omne domus illius spatium completere. Cumque domum præclarissimis illis spiritibus repletam vidisset, fratrum conventum esse suspicatus, custodem infirmorum bonæ religionis virum, Otgerum nomine, vocavit, eique dixit: *Frater Otgeri, hiccine ordo noster est, ut conventus albis induitus in infirmary venias? Crede mihi, hodie video quod nunquam retro contigisse audivi.* Sed cum frater ille nullum albatorum in infirmary illa esse affirmaret, adhuc in eadem opinione persistens adjecit: *Miror valde quomodo hæc dicere potes, cum non pars domus, sed tota ejusdem albatis viris plena sit, et te ipsum, ubi nunc loqueris, ex omni parte iidem circumdent.* Tunc tandem intellexit cui hoc dicebat, non hominum illum conventum, sed beatorum esse angelorum. Et parvo intervallo suscepit ut servus Domini Benedictus ab illis quos viderat albatis et gloriiosis spiritibus ascitus obiret, beatamque animam eis tradens, ad regna cœlestia, ut dignum est credere, cum ipsis. . . .

Gaufredus vir nobilis fuit dominus castri, quod Sinemurum vocatur. Postquam multum tempus magnifice in sæculo conversatus est, tractus divino spiritu mundo renuntiavit, atque cum filio et tribus filiabus apud Cluniacum habitum religionis

A induit: ubi sancte ac sine querela diu conversatus, merito religionis atque prudentiae Marcignacensis sororum prior effectus est. Quarum curam dum per aliquot annos humiliter et benigne administrasset, more mortalium molestia corporis tractus, defunctus est.

Ipsius Petri Venerabilis tempore fuit Bernardus monachus prior Cluniacensis, totus religiosus, totus erga conventum laboriosus, et Ecclesiam Cluniacensem semper summa cum charitate amplectens. Quem ipse Petrus Venerabilis abbas Cluniacensis commendans epitaphium de ipso Bernardo tale quod sequitur descriptis.

*Egregius senior cui nil juvenile cohæsit,
Bernardus prior hac pausat humatus humo
Hic post militiam cœlestia castra subintrans,
Consenuit, certans hoc in agone diu.
Iste sibi pro te nunquam, Cluniace, pepercit,
Huic sibi nulla dies absque labore fuit.
Sic bene tetius pondus tolerando dièi,
Nummum promeritum sero reportat ovans.
Hujus, vos fratres, memores estote sepulti,
Nec cadat ex animo quod tegat ossa solum.*

Hujus Petri Venerabilis abbatis Cluniacensis monachus et religiosus fuit dominus Radulphus, qui tandem scripsit mores et gesta, ac vitam mortemque ipsius Petri abbatis Cluniacensis.

Verum enimvero omittendum est minime qualiter angelus Domini locum, ubi fratres moriuntur, cruce Christi signaverit. Quod miraculum Petrus ipso Cluniacensis abbas descriptis in hunc qui sequitur modum: «Quoniam antiqui hostis aperta contra Christi milites prælia, » etc. *Integra narratio exstat lib. i Mirac. c. 19, quam hic repetere superfluum fuisset.*

Tempore hujus Petri Venerabilis abbatis Cluniacensis numerus fere quatuor centum monachorum in Cluniaco redolebat. Quorum quidam habitabant in silvis illi loco proximis, inter quos ipse aliquando Petrus abbas conversabatur cum ipsis fratribus. Eorum enim habitacula sanctorum Patrum monachorum in præfatis silyis erant capellæ devotæ, sicut in capella Sanctæ Radegundis, Sancti Romani super Boutavanum, capella S. Vitalis prope Cluniacum, capella Sancti Joannis de Bosco, et ecclesia de Costa, in quibus locis cum magna devotione Christo militabant.

Ex quibus omnibus supradictis, et ratione quorum ordo Cluniacensis, et ipsius monastica religio extensa, et propagabatur usque ad vallem Josphat, sepulcrum matris Domini nostri Jesu Christi, ubi Gelduinus monachus Cluniacensis illius vallis monasterii abbas exstitit.

Et item ipsi monasterii Cluniacensis monachi cum monachis, et fratribus habitantibus in sancto monte Thabor, ubi Deus transfiguratus est, sortiti sunt confraternitatem.

Consequenter ipsi Cluniacenses obtinuerunt mo-

monasterium, quod Cuntot dicitur, quod est in subur-
bio Constantinopolis civitatis

Tandem et per successum temporis isti Patres Cluniacenses traxerunt in suam confraternitatem et societatem, ecclesias, collegia, et monasteria usque ad numerum ferē cccxlv. Et sub ipsius abbatiae Cluniacensis subjectione fuerunt tam abbatiæ, prioratus, decanatus, præposituræ, officia quæ tam mediate quam immediate eidem subjecta, circa duo millia vel amplius.

Nunc de triumpho Patris domini Petri Venerabilis abbatis Cluniacensis, quem in schismate Pontii abbatis septimi obtinuit, de versibus Petri Pietaviensis inserendo, pauca dicenda sunt : quém ille stylo nimium prolixo prosequitur (18).

*Jam tibi, Petre, novi celebrantur ubique triumphi,
Jam tibi sub pedibus pars inimica jacet, etc.*

Nunc etiam de gloriose sine Petri Venerabilis abbatii Cluniacensis dicendum est ex dictis Radulphi ipsius B. Patris monachi, qui vitam et mores tanti Patris descriptis, et ejus mortem.

Anno vero Dominicæ Incarnationis 1157, prima ipsius anni die, reverendus et cum multo amore recolendus dominus Petrus abbas viam universæ carnis ingressus est, et illa hora sancta anima ejus discessit, qua credimus Verbum Dei natum de Virgine matre. Et bene hanc horam ut ascenderet elegit, qui Nato descendenti humiliter semper servivit. Nascente ergo Christo Jesu de Virgine matre in terris, Petrus virgo assumitur in cœlis, ut qui gaudium singularis nativitatis devote celebraverit, cum peregrinis quandiu vixerat, modo in hora ejus nativitatis recipere fructum devotionis in sedē æternitatis. Factum est autem magnum miraculum in hac gloriensi Patris venerabilis abbatis Cluniacensis corporis et animæ separatione. Quia cum ipse sanctus migravit a corpore, ut nullum fieret impedimentum divinis officiis sanctæ matris Ecclesiæ, præcipue illius diei, dicta litanie ab episcopo, et finitis orationibus, desertur sancti Patris corpus ad locum, ubi corpora mortuorum lavabantur ; et ibi vestimentis nudatum glorificati hominis gratia cunctis videntibus et stu-

A pentibus apparebat. Erat enim corpus ipsius mortuum vitro purius, nive candidius, et mirabili quadam pulchritudine cœleste corpus in terrenis adhuc existens. Quis crederet illam sanctam carnem cilicio aliquando fuisse tectam, jejuniis afflictam, meditationibus et contemplationibus sanctis attenuatam, vigiliis maceratam ? Erat profecto jam quasi in quadam futuræ gloriæ transformatione splendidissimum sinè macula et ruga dotum cœlestium præsagium ferens. Osculabantur discipuli caput magistri, suggabant aquam quæ lavabatur, et unusquisque quod poterat rapiebat.

Sepultus est itaque beatus Petrus Venerabilis abbas Cluniacensis in capite majoris et novæ basilicæ, cum magno honore et grandi dolore suorum filiorum, ab illustri et reverentissimo viro Wintoniensi episcopo.

Rexit itaque gloriosus vir Petrus Venerabilis hoc Cluniacense monasterium 34 annis, et quatuor mensibus, cum tribus diebus. Alibi tamen reperi quod rex 35 annis, et jacet juxta altare S. Jacobi, et retro armaria reliquiarum capsæ omnium sanctorum, juxta portam per quam itur retro chorum a manu dextra, cujus epitaphium sequitur :

*Paret in hac urna quod non sit vita diurna,
Qualescumque sumus morte coequat humus.
Dum Petrus moritur pius abbas, jus sepelitur,
Pax cadit, ordo jacet, flere morique placet.
Ille salus patriæ, mundi decus, arca sophiæ,
Nescius invidiæ, vena fuit veniæ.
In natale Dei solemnis mane diei
Mortuus, obtinuit plurima quæ meruit.*

ALIUD EPITAPHIUM.

*Tempore Bernardi Clarevalis floruit olim
Alvernus patria Petrus Venerabilis abbas,
Hic Cluniacensis, instructor catholicorum,
Contraque schismaticos, Judæos et Mahometos
Tractatus scribens, nec non volumina multa,
Sermones varios, dictamina prosa metroque.
Nobilis ille fuit, sed moribus altior omni.
Regnans perpetuo, nunc sedibus Omnipotentis
Supplicet assidue pro cunctis religiosis,
Præcipue nobis Cluniacensibus impetrat alta
Gaudia cœlorum, decurso tempore nostro
Hic Petrus vixit, qui cœlo lumina fixit.*

(18) Habentur infra cum cæteris ejusdem Petri Pictav. scriptis.

VETERUM TESTIMONIA DE PETRO VENERABILI.

(Bibl. Clun., p. 601.)

I.

S. Bernardus epistola 277, ad papam Eugenium pro abbe Cluniacensi.

Stultum videtur scribere ad vos pro domino Cluniacensi (19), et ei quasi velle patrocinium ferre,

(19) Petro scil.

D quem omnes sibi patronum habere desiderant. Sed scribo, etsi non necessarie illi, satisfaciens tamen affectui dico meo, non alterius; ipso enim quia corpore non possum, prosequor amicum peregrinatem. Quis nos separabit? Nec altitudo Alpium, nec